

31. τῷ χρόνῳ γίνεται. c. 54. partim non indicata, velut πύργος. c. 62. διηρημένη. c. 45. ὄρεᾶν. c. 29. alibi δρεᾶν, κομιδῆ. Sed haec sunt leuia.

Observationes autem textui subiectae partim criticae sunt, partim exegeticae. In afferenda lectionis varietate non id fecutus sum, ut optimas solas adiicerem, ita potius quamque attuli, ut quaeque earum mihi maxime occasionem praebere videbatur de lectionum origine et pretio differendi. Omnino autem in criticis annotationibus ab initio timidior fui, ne auctorem ipsum, et non solos eius librarios corrigere velle viderer; vnde factum est, ut plura reprimerem, e quibus hic nonnulla adiicere visum est. De lectione. c. 1. n. 7. ἐν μέρει, quam praefero, dixi in Indice. voc. ἑῆσις. — c. 6. pag. 11. οὐκ ἂν ἀμάρτοι τῆς ὄρεθῆς, καὶ ἐπ' εὐθύ ἀγούσης. Alterum horum plane est superuacuum, et posterius sane pro glossa ad voculas τῆς ὄρεθῆς haberem, nisi scirem Lucianum ab eiusmodi tautologiis non plane abhorruisse. — Magis suspectus mihi est finis eiusdem capituli. pag. 12. κοινὰ γὰρ, ὡς ἔφην, ἀπάντων λόγων ἐστὶν ἀμαρτήματα ἐν τε φωνῇ καὶ ἀρμονίᾳ. nam perquam frigida est repetitio, et ea quidem fluxum orationis impediens, quae, his omissis, melius et commodius procedit. Videtur autem haec Luciani observatio in margine, memoriae causa, posita, et postea in textum illata fuisse, additis voculis connexionis et excusationis γὰρ, ὡς ἔφην.